

EPISTULA LEONINA

CLXXVII

HEBDOMADALE
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
QUOD ĒDITUR
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **GRATIS** ET **SINE ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. **SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.**

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS **I-CLXXV** INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGREAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM
CENTESIMAM SEPTUAGESIMAM SEPTIMAM (177) !

ARGUMENTA

SOLAMEN MISERIS SOCIOS HABUISSE MALORUM.....	03
QUATTUOR FABELLAE GRIMMIANAE.....	04-12
De lupo et homine.....	04-05
De lupo et vulpe.....	06-08
De vulpe et Domina Matrina.....	09-10
De vulpe et catta.....	11-12
EQUES LEUCIPPUS (VII) (<i>Storm, Schimmelreiter</i>).....	13-18

**LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS
SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.**

Cara Lectrix, Care Lector,

maximê gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam centesimam septuagesimam septimam.

»Solamen miseris socios habuisse malorum« - hic versus sanê nôtus est. Tamen certê pauci sint, qui sciunt eundem versum originem repetere ab Aesopi apologo Leporis et ranarum. Et pauciores sunt, qui sciunt hunc versum inveniri apud Spinozam. Oportet legas de hóc proverbio paginâ proximâ sequenti!

Stupendus sanê est numerus Fabellarum Grimmianarum. Sed numquam oritur taedium easdem legendi, immo quo plures Grimmianas fabulas lêgeris, eo plures legere cupies quodammodo inebriatus!

In Germaniae scholis multi discipuli legerunt aut adhuc legunt Equitem Leucippum Theodori Storm fabulam novellam omnium illustrissimam. Omnes autem linguae Latinae amatrices amatoresque iuvat decet delectat legere Equitem Leucippum togâ ornatum....

Quae cum ita sint, hanc Epistulam Leoninam 177 tolle et lege et ... pancraticê vale et perge mihi favere!

Medullitus Te salutat

Nicolaus Groß



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,
die Dominicâ, 07.m. Oct., a.2018**



BARUCH DE SPINOZA (1632-1677)

SOLAMEN MISERIS SOCIOS HABUISSE MALORUM


Apologus Aesopianus, qui est de lepore et ranis, haec habet verba finalia: ὁ μῦθος δηλοῖ, ὅτι οἱ δυστυχοῦντες ἐξ ἑτέρων χείρονα πασχόντων παραμυθοῦνται. <http://www.mythfolklore.net/aesopica/chambry/191.htm> Chambry 191 = [Perry 138](#)

i.e. Fabula docet miseros aliis peiora patientibus consolari. Quidam auctor mediaevalis sensum huius sententiolae paululum mutavit hexametrum pangens, quod citatur a **Dominico de Gravina**: »*Juxta illud verbum poeticum: gaudium est miseris socios habuisse poenarum*«. In «**Fausto**» autem ipsius **Marlowe** (a.1580) legitur: »*Solamen miseris socios habuisse doloris*«. Sed notissima est formula, quam ipse **BARUCH DE SPINOZA** (Ethica IV 57, Scholium) dicit esse proverbium:

Abjectio, quamvis Superbiae sit contraria, est tamen abjectus superbo proximus. Nam, quandoquidem ejus Tristitia ex eo oritur, quod suam impotentiam ex aliorum potentia, seu virtute judicat, levabitur ergo ejus Tristitia, hoc est, laetabitur, si ejus imaginatio in alienis vitiis contemplandis occupetur, unde illud proverbium natum: Solamen miseris socios habuisse malorum...

FABELLAE GRIMMIANAE

72. De lupo et homine



Aliquando vulpes lupo narravit de vi hominis: nullam bestiam posse illi resistere, sibi utendum esse dolo, ut se servarent ab homine. Tum lupo respondit: »Si quando aliquem hominem videro, tamen in eum invehar«. Tum vulpes: »Hoc« inquit, »ut facias te adjuvabo«. Veni cras bene mâne ad me, deinde tibi monstrabo hominem«. Lupus autem bene mâne cum veniret, vulpes eum duxit ad viam, per quam venator omni die ire solebat. Primo vênit miles veteranus emeritus. Lupus rogavit: »Estne hic homo?« »Hic non est«, vulpes respondit, »sed fuit«. Deinde vênit puerulus scholam aditurus. »Estne hic homo?« »Hic nondum est, sed fieri vult«. Denique vênit venator focili¹ duplici subbaiulato, qui in latere gerebat cultrum cervicidalem². Tum vulpes: »Viden' ibi venire hominem? In eum oportet inveharis. Equidem abibo in cavernam meam«. Nunc lupo invectus est in hominem; venator, cum illum aspiceret: »Doleo« inquit, »quod focile non oneravi globulo«, sclopeto focili genae appposito plumbum minutum in faciem lupi iaculatus est. Lupus autem vultu vehementer distracto tamen non territus est, sed processit; tum venator alterum plumbum minutum in eum iaculatus est. Deinde lupo dolore suppresso in venatorem invectus est; tum is cultro cervicidali dstricto lupum a sinistris et dextris aliquoties percussit, ut îdem sanguine etiam


¹ *focile, -is n. (sc. +sclopetum) orig. *Flinte*. cfr fr. *fusil*.

² *culter* *cervicidâlis orig. *Hirschfänger*.

etiamque effluente ululans ad vulpem recurreret. Tum vulpes: »Quid nunc, frater lupe« inquit, »quomodo hominem superasti?« »Eheu« lupus respondit, »animo haud finxeram hominem esse talis roboris; qui primo inflavit baculum de umero posito, ut aliquid volaret in faciem meam, quo perquam horribiliter titillarer; deinde homo iterum inflavit baculum, ut circa nasum meum agitentur fulmen atque grando, et perquam propinquus cum essem, homo e corpore traxit costam solidam, quâ tam vehementer me percussit, ut paene prosternerer mortuus«. Tum vulpes: »Viden'« inquit, »te esse gloriatorem? Tu enim securim iacis per maiorem distantiam, quam ut recuperes«.

* *
*

73. De lupo et vulpe



Lupus vulpem secum ducebat, et quidcumque lupus volebat, hoc vulpi erat faciendum, quia lupo infirmior erat, ideoque domino defungi cupiebat. Factum autem est, ut ambobus per silvam euntibus lupus diceret: »Vulpecula, fac ut mihi aliquid compares devorandum, aut devorabo te ipsum«. Tum vulpes respondit: »Nôvi praedium rusticum, ubi nonnulli sunt agnuli, si cupiveris talem devorare, eamus, ut aliquem praedemur«. Hoc cum lupo placeret, illuc ierunt et vulpes agnulum furatus lupo attulit et abiit. Deinde agnulo devorato lupus nondum contentus erat, sed alterum ut afferret iterum abiit. Cum autem hoc ineptê faceret, mater agnuli lupum animadvertens coepit tam horribiliter clamare et balare, ut agricolae accurrerent. Tum iidem lupum inventum tam miserabiliter mulcaverunt, ut îdem claudicans atque ululans vulpem adveniret. Deinde lupus: »Eheu quam bellule« inquit, »me deruncinasti! Volui alterum agnum praedari, sed agricolae me deprehensum vehementer mulcaverunt«. Vulpes autem respondit: »Quare tam gulosus es?«

Postridie iterum in campum ierunt, lupo guloso iterum: »Vulpecula« inquit, »affer mihi aliquid edibile, aut devorabo te ipsum«. Tum vulpes respondit: »Nôvi villam rusticam, ubi domina hodie vespere furno coquit lagana, quorum nonnulla praedemur«. Deinde bestiae unâ villam adierunt; vulpes circa domum repsit, circumspectabat atque naribus indagabat tam diu, usque dum inveniret, ubi patina staret; sex lagana detraxit et lupo attulit.

»En hoc devores« vulpes lupo dixit et abiit. Laganis statim deglutitis lupo: »Ista tam bene sapiunt, ut cupiam plura«, adiit et totam patinam deripuit, ut in plures partes diffringeretur. Tum factus est strepitus tantus, ut domina exiret, quae cum lupo conspiceret homines convocavit; qui properê accurrerunt lupumque mulcaverunt quam vehementissimê, ut îdem magnâ voce ululans duobus pedibus claudis ad vulpem in silvam reveniret. »Quam malevolê« lupo clamavit, »me deruncinasti! Agricola me deprehensum vehementer mulcaverunt«. Vulpes autem respondit: »Quare tam gulosus es?«



Tertio die, quo ambo unâ foris fuerunt, lupo, quamvis aegrê tantum claudicans progredere, tamen denuo dixit: »Heus vulpecula, affer aliquid, quod comedam, aut devorabo te ipsum«. Vulpes autem respondit: »Nôvi quendam virum, qui pecora mactavit et carnes dolio imposuit, quod inest hypogeo; hoc dolium diripiemus«. Tum lupo: »At volo« inquit, »statim tecum proficisci, ut me adiuves, si abire non possum«. Vulpes autem: »Hoc per me« inquit, »liceat«, et lupo

monstravit semitas atque ambages, per quas tandem in hypogeum pervenerunt. Hoc autem carnibus abundavit, quas devorare lupus statim coepit intra se cogitans: »Devorabo sat diutulê«. Vulpes etiam carnibus bene fruebatur, sed huc illuc spectans saepe currebat ad foramen, per quod in hypogeum venerant, et probabat, num corpus suum adhuc tam gracile esset, ut perlabendo foras veniret. Tum lupus: »Cara vulpecula«, inquit, »dic mihi, quare huc illuc curris et salis foras et intro?« Vulpes autem versuta respondit: »Videndum mihi est, num quis veniat. Tu noli nimium devorare«. Tum lupus: »Equidem« inquit, »non abibo, priusquam dolium erit vacuum«. Interim agricola, qui saltûs vulpis strepentes audiverat, vênit in hypogeum. Vulpes autem, ubi primum agricolam conspexit, uno saltu per foramen foras egressa est; at lupus secuturus devorando crassior factus erat, quam ut per foramen perlaberetur, sed haesit foramini infixus. Tum agricola fuste vibrato lupum occîdit. Vulpes autem in silvam cucurrit laeta, quod defuncta erat comite gulosissimo.

* *
*

74. De vulpe et Dominâ Matrinâ



Lupa catulo parto vulpem marem invitare iussit patrinum. Lupa: »Cum vulpes« inquit, »nobis sit propinquê affinis, cum sit magno acumine mentis multâque sollertiâ, scit filiolum meum docere et adiuvare, ut bene vivat in orbe terrarum«. Vulpes perquam honorabilis visus est et: »Cara Domina Matrîna¹, gratias tibi ago pro honore, quo me ornasti, me ita geram, ut delecteris«. Inter sollemnia baptismalia vulpes cibis perfruens summê delectatus postea: »Cara Domina Matrîna« inquit, »officium nobis est infantulos curare. Eges bonis nutrimentis, ut catulus tuus corroborascit. Nôvi autem stabulum quoddam ovile, e quo facile bonum agnum sapidum auferemus«. Haec cantilena cum lupae placeret, unâ cum vulpe foras exiit in villam rusticam. Vulpes lupae stabulo e longinquo monstrato: »Illuc« inquit, »irrepere poteris invisus, ego interim alteram partem perquirens studebo captare gallinulam«. At illuc nequaquam iit, sed decubuit in silvae introitu et pandiculatus² requievit. Lupa autem in stabulum

¹ **Domina Mâtrîna** orig. *Frau Gevatterin*.

² **pandicular**, pandiculâtus sum, pandiculârî [PLAUT.Men. 832]. theod. *sich räkeln, sich recken, dehnen (beim Gähnen)*.

repsit, ibi canis versans tantum strepitum fecit, ut agricolae accurrerent. Dominamque Matrinam deprehenderunt eiusque pelli infuderunt acrem cinerem lixivium. Tandem lupa aegrê effûgit corpusque foras traxit; ibi autem vulpes prostratus dissimulans se valere miserrimê: »Eheu me miserum« inquit, »quam male me habeo! Agricola enim me oppresso omnia mea membra percusserunt, nisi vis me in loco manere prostratum et tabescere, necesse est, ut me tecum asportes«. Lupa autem, quamquam ipsa lentê tantum poterat progredi, tamen vulpis valetudini tam studiosê prospexit, ut patrinum prorsus validum sanumque subbaiulatum lentê domum portaret. Tum vulpes lupae acclamavit: »Valeas, cara Domina Matrina, et assum tibi sapiat bellissimê«, et lupâ vehementer irrisâ avolavit.

* *
*

75. De vulpe et cattâ



Aliquando factum est, ut catta in silvâ incideret in Dominum Vulpem¹, et cogitans »Is est callidus et bellê peritus et magni aestimatur in mundo, illum allocuta est affabiliter: »Salve, care vulpes, quid fit, quid agitur? Quomodo victum tibi comparas istâ in caritate annonae?« Vulpes autem plenus superbiae cattum a capite ad pedes intuitus diu nescivit, num sibi respondendum esset. Denique dixit: »O tu barbipurgator² miserrime, tu morio versicolor³, tu muriceps famelice⁴, quid tibi vênit in mentem? Tu tibi arrogas me rogare, quomodo ego me habeam? Quid tu didicisti? Quot artes calles?« Catta modestê respondit: »Unam solam nôvi artem«. Tum vulpes: »Quaenam haec est?« »Si canes me persequuntur, scio in arborem saliens vitam meam

¹ **Dominus Vulpês** orig. *der Herr Fuchs*. Nomen huius bestiae quamquam solet esse generis feminini, vulpes mares necessitate quadamtenus naturali oportet appellentur nomine masculino. Deminutivum huius nominis solitum est „**vulpecula**“, sed in Latinitate mediaevali exstat etiam forma feminina „**vulpeculus**“: cfr Carl Julius Weber, *Die Leidenschaften*, tom.1, Stuttgart & Leipzig 1842, p.340: „Philipp August von Frankreich setzte auf den Schwur *bei Gottes Haaren und Zähnen* zwanzig Sols Strafe, und wer nicht zahlte, sollte ersäuft werden. Nach den salischen Gesetzen kostete der Schimpf *Concacatus – Vulpeculus* drei Solidi und auf dem höchsten Schimpfworte *Hundsfott* (von *Cynaedus*) *Chienfoudre* (jetzt veredelt in *Jean Foudre*) standen sechshundert Denarien.“

² ***barbipürgator**, -ōris m. orig. *Barputzer*.

³ **mōriō versicolor** orig. *buntscheckiger Narr*.

⁴ **mūriceps famelicus** orig. *Hungerleider und Mäusejäger*

servare«. Deinde vulpes: »Suntne« inquit, »haec omnia quae calles? Ego sum dominus mille artium necnon habeo saccum astutiarum plenum. Miseret me tui, veni mecum, docebo te, quomodo canes effugias«. Tum accessit venator cum quattuor canibus. Catta agiliter in arborem insiluit et in culmine insedit, ubi ramis et foliis prorsus latuit. Vulpi autem acclamavit: »Saccum aperi, Domine Vulpes, saccum aperi«, sed canes illum iam correptum tenuerunt. Tum catta vocavit: »Vae tibi, Domine Vulpes, centum artibus instructus tamen inops haeres. Si ita scivisses arborem ascendere ut ego, vita tua esset servata«.

* *
*

QUATTUOR FABELLAS GRIMMIANAS

QUAE SPECTANT

AD VULPEM ET LUPUM

IN LATINUM CONVERTIT

LEO LATINUS

Theodori STORM fabula novella, q.e. „*Der Schimmelreiter*“, a.1888
Theodiscê conscripta, a.2018 a Nicolao GROSS in Latinum conversa.

DE EQUITE LEUCIPPO

DER SCHIMMELREITER

Pars septima

cfr Pars I: EL 166,16-22; II: 167,04-11; III: 169,04-12;
IV: 170,15-23; V: 171,12-22; VI: 174, 11-16.



»Das hohe und innerlich vielerfahrene Künstlertum Storms hat nichts zu schaffen mit Simpelei und Winkeldumpfigkeit, nichts mit dem, was man wohl eine Zeitlang ‚Heimatkunst‘ nannte... Er ist ein Meister, er bleibt«. **THOMAS MANN**

i.e. Latinê: Ars Theodori Storm magna multimodisque perita nequaquam spectat ad animi stupidam simplicitatem et proprii anguli terrarum laudem Abderitanam, nequaquam ad illam rationem scribendi, quae nescio an aliquamdiu appellata sit ‘ars patriae’... Storm est verus artifex: qui manebit.

Theodorus Storm: *Der Schimmelreiter* (VII)

DE EQUITE LEUCIPPO

Pars septima

In pascuo longo latoque, quod versus orientem praeter latus aggeris terrestre porrigebatur, postridie post meridiem obscura massa hominum modo immota stans, modo, cum globulus ligneus ex eâdem iacta esset super humum sole diurno nunc a pruinâ liberatam, infra domos post se sitas longas et humiles visa est paulatim progredi; factiones globulatorum glacialium in medio versabantur a iuvenibus atque senibus circumdatae, qui cum iis sive in illis domibus sive in domibus supra in sicceto sitis habitabant aut manebant; senes longis vestibis induti, fumisugiis brevibus cogitabundi fumantes, et mulieres pannis iaccisque indutae, etiam parvulos manibus secum trahentes aut brachiis gerentes. E fossis congelatis, quae paulatim transibantur, splendor pallidus solis postmeridiani per cuspides harundinum coruscabat; frigora erant vehementia, sed homines ludere continuo pergebant, et omnium oculi iterum iterumque globulum volantem persequabantur. Nam ex eo hâc die pendebat totius vici et diei honor. Arbiter factionum hâc gerebat album baculum, apud siccetanos nigrum cuspide ferreâ instructum; ubi globulus currere desierat, idem baculum, sive tacitâ cum approbatione sive irrisione factionis adversariae impactum est humo congelatae, et is, cuius globulus primo metam assecutus erat, pro suâ factione victoriam pepererat.

Omnes hi homines pauca tantum loquebantur, nonnisi iactu excellentissimo facto audiebatur vox quaedam iuvenum vel mulierum aut aliquis e senibus fumisugium ex ore exemptum umero iaculatoris impellens nonnulla verba benevola faciebat qualia sunt: »Hic fuit iactus optimus, dixit Zacharias uxore e fenestrâ iactâ!« aut: »Sic quoque iaciebat pater tuus, quem Deus consoletur in aeternitate!« aut similia verba benevola.

Hauco globulum iacenti res haud bene successit, nam cum modo brachium retro vibraverat, ut globulum proiceret, nubes a sole evaserat, qua îdem antea erat obtectus; qui nunc pleno radio suo percussit oculos Hauci; ita factum est, ut iactus fieret nimis brevis, globulus in fossam caderet et in tenui glacie haereret.



A.1919 delineavit *Hans Volkert*.

In pascuo longo latoque, quod versus orientem praeter latus aggeris terrestre porrigebatur, postridie post meridiem visa est obscura massa hominum.

»Non valet! Non valet! Hauce, iace iterum«, vocaverunt comparticipes eius.

At arbiter siccetanorum¹ prosiluit contra loquens: »Oportet valeat; iactum est iactum!«

»Olae! Olae Petersi!« iuvenes paludetani clamaverunt. »Ubi est Olaus? Ubinam, malum, iste latet?«

At iste iam adfuit. »Nolite clamare! Vultis verbis resarcire damnum ab Hauco factum! Hoc iam eram suspicatus«.


»Nequaquam! Oportet Haucus iterum iaciat; nunc demonstra te esse linguâ promptum!«

»Certê sum!« Olaus vociferatus arbitrum siccetanorum accessit, sed nihil locutus est nisi plurimas gerras². At aculei atque mucrones, quibus alioquin verba Olai splendebant, nunc sermoni eius non infuerunt. Iuxta servum maiorem stetit puella, quae erat superciliis aenigmaticis, istumque aspectavit oculis iratis; at Elcae loqui non licuit, nam mulieribus non erat ius huius lusûs participandi.

¹ *siccētānī -ōrum m.pl. orig. *Geestleute*. cfr **palūdētānī**, -ōrum m.pl. orig. *Marschleute*.

² **gerrae**, -ārum f.pl. orig. *Galimathias*. Est ferê i.q. theodiscê dicitur *Quatsch*, anglicê *nonsense*, francogallicê *radotage*. cfr Georges, Ausführliches Lateinisch-Deutsches Handwörterbuch, 14.ed., Hannover 1976, tom.I, col.2929: „gerra, ae, f. ...geflochtene Ruten, Rutengeflecht...Plur. gerrae übr. = *Lappalien, Possen, dummes Zeug*, Caecil.com.101. Plaut.asin.600; Epid.233. Auson.Griphus (XXVI) 1, praef. p.127,16”.

»Inepta blateras«, alter arbiter vocavit, »quia non iudicas ex aequo et bono! Sol et luna et stellae sunt aequales nobis omnibus et semper in caelo; iactus fuit ineptus, et omnes iactûs inepti valent!«



»Agedum, abi! Nôvi te, Olae Petersi!« puella respondit corpore erectissimo.

ELCA ET OLAUS PETERSIUS
A.1924 delineavit *Otto Marcus*.

Sic aliquamdiu unus contra alterum locuti sunt; sed denique recuperator decrevit, ne Hauco liceret iactum repetere.

»Porro!« sicetani vocaverunt eorumque arbiter baculum nigrum ex humo extraxit et numero vocato iaculator constitit et globulum

proiecit. Servus comitis aggeralis maior globulationem aspecturus non potuit, quin praeteriret *Elcam Volkerts*. Eadem autem servo aurem personans: »Heus Olae« inquit, »cuiusnam gratiâ hodie mentem tuam sanam hodie domi reliqueras?«

Tum iste puellam aspexit lato vultu ferê torvo, ex quo evaserat omnis hilaritas. »Tui gratiâ!« dixit, »nam tu quoque oblîta es mentem sanam tuam!«

»Agedum, abi! Nôvi te, Olae Petersi!« puella respondit corpore erectissimo; at ille capite averso simulavit se non audivisse.

Globulatores autem ludere perrexerunt et baculum nigrum albumque impingere. Haucus cum iterum iaculatus esset, eius globulus tam longinquê volavit, ut meta, quae erat magna orca calce albâ oblita in conspectum veniret. Īdem nunc fuit catulaster firmus, qui aetate puerili cottidie exercuerat mathesin et artem iaciendi.

»Oho, Hauce!« aliquis e catervâ vocavit; »tam bellulê globulasti, quasi esses Michael archangelus ipsissimus!« Anus quaedam placentam atque vinum adustum secum ferens per hominum multitudinem se pressit ad Haucum, hyalum complevit eique praebuit. Eadem: »Veni!« inquit, »Animos nostros inter nos reconciliemus: hodie melius te geris quam illo tempore, quo mihi cattum occîdisti!« Cum anum conspiceret, Haucus recognovit Catharinam Iohanneam. Qui: »Gratias tibi ago, vetula« inquit; »sed hoc vinum non bibo«. Necnon e sacculo suo manu exemit nummum marcae recenter cusum. »En accipe hunc et ipsa hyalum ebibe, Catharina; hîc modo facta sit reconciliatio nostri!«

»Rectê dixisti, Hauce!« anus respondit praeceptum eius sequens. »rectê sentis; hoc praestat aniculae, qualis sum!«

Haucus post eam corbe comprehenso iam profectam vocavit: »Quid agitur de anatibus tuis?«; sed Catharina capite concusso non conversa manûs suas vetustas in aëre circumagitans respondit: »Nil, nil, de illis, Hauce; in fossis vestris nimis multi sunt ratti; Deus me consoletur; necesse est aliter me nutriam!« His dictis Catharina vetula in hominum cumulum se pressit et denuo praebuit vinum suum adustum suasque placentas mellitas.

**FABULAM NOVELLAM EXCELLENTISSIMAM
A THEODORO STORM SCRIPTAM**



C.T. EST

Der Schimmelreiter

IN LATINUM CONVERTIT

NICOLAUS GROSS

LEO LATINUS

PARS OCTAVA SEQUETUR !

ECCE LIBRI LEONIS LATINI

Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdê augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuê disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.

Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:

- | | |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat)..... | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum)..... | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser)..... | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne)..... | 22,00 € |

PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».

GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.

Habeas nos excusatos, quod situm interretialem (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.

Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimê eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtuaalem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeras, quibus operam dedit illis creandis.

Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EΙΣ AEI.

INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR	Num. mand a- telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANS- LATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI- TUDO	PRE- TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymu s (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104 A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA- Libri audibiles	Anonymu s (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE -Libri audibiles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	0040 4A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI - Libri audibiles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedoeu s	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedoeu s	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAE	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN	Henricus van den Lande de Raelt	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50

14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIANAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	0050 5A	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	0060 5A	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	0070 5A	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAE	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIVM	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306 A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	0040 6A	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	00506 A	978-3-938905-26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibiles	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90
28	00107 A	978-3-938905-27-2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	00207 A	978-3-938905-28-	OBSIDIO SAGUNTI A T.LIVIO DESCRIPTA	Livius	-----	2007	Audio	53 min.	€ 23,90

		9							
30	00307	978-3-938905-29-6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob Grimm/ Wihelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD-ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**

**HANC EPISTULAM LEONINAM
CENTESIMAM SEPTUAGESIMAM SEPTIMAM**



SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT

Die Dominicâ, 07. m.Oct. a.2018

Nicolaus Groß

Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



LEO LATINUS

<http://www.leolatinus.de/>